

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 15. (Neovidensis 1808. Nro. 12.)

Politica mortuorum Colloquia.

Elysium Meum. - Die Martis. 23. Feb. 1808 (Neov. 9. Feb. 1808.)

Denique fidelitas
Non est inane nihil

Fidejussio p. 20. l. 4.

Colloquentes Umbrae.

Ludovicus Badensis. Paulus Pálffy.

Ludov. Octo circiter vicenis ab obitu tuo annis in Hungaria morabar, de Palatino. Paulo Pálffy sæpe, multumque audiebam, tanto major mihi, te hisce in oris videndi voluptas.

Pálffy. Prehende, sis, dextram hanc in grati animi argumentum, strenue Marchio! qui pro patria mea pugnabas.

Ludov. Continuo bello distinebamur; jam orientem, jam occasum versus, adversus Turcas, jam contra Galliam.

Pálffy. Ipse hic situs Monarchiæ Austriacæ non alia ratione, quam fortitudine & fidelitate Nobilium servari potuit; perspicis Marchio æstimatissime! nostrum regnum in quibusvis partibus invasioni hostili patuisse; ubique & ubicunque hostis irrumpere potuit.

Ludov. Hostiam adjuncta semper faventiora erant — dum Turcæ ex latepatentibus provinciis suis Hungariam versus progrediebantur, ex parte aversa nihil metuendum habebant, nullus hostis dorso eorum imminabat; Persæ, qui id solum facere potuissent, quieti perstitere, suis satis rebus occupati. Ita & cum Gallia se res habuit; dum gallicanæ copiæ Germaniam penetrabant, tum occiduum versus oceano defendebantur, nec a quoquam hostium ex averso impeti poterant. At longe alia fuit Austriæ situs ratio: inter Galliam & Turciam media, quovis tempore anterior æque ac posterior pars in periculo versabatur — difficilia hæc adjuncta animo expendens, admirari satis nequeo: ut factum sit: nos ex tot, tamque difficilibus periculis, diuturnisque bellis absque magna jactura servatos esse.

Palfy. Subsequo tamen tempore alium adhuc Austriæ hostem politica excogitavit; Borussia per artes & politicam ad conspicuum Statum se evexit; quovis tempore lateri aut dorso nostro minabatur, prout bellica directio in Gallos aut Turcas suscepta fuit; — In ipso ergo corde Germaniæ Austria amicos & hostes habebat, quippe viribus debiliores nunquam non ei adhærebant, quem belli fortuna manebat.

Ludov. Quævis hæc adjuncta de præsentè disprærere, novus politicarum rerum ordo enatus est. Gallia & Russia novum æquilibrium politicum manibus suis tenent, & as-

severare ausim : Austriam & Turciam tertiam potentiam largiri debere, ad pondus uni vel alteri bilanci pro conservatione totius adjiciendum. —

Pálffy. Ergo Austria & Turcia amici fierent?

Ludov. Ita rerum situs mutati sunt; reciproca status ratio necessario Austriam & Turciam conjungere debet: Conservatio Portæ Ottomanicæ præcipue Gallix etiam interest; in cunctis Declarationibus ex parte Gallica editis eo consilia tetendisse observare licuit; pax etiam Russiam inter & Portam medio Galliarum perficietur, Bellum solum infelix maritimum adhuc durat; lego in publicis paginis sequentem sectionem:

„In Calendario hujus anni *Imperiali* in Elencho Statuum *Portugallia* non comparet, contra regia hæctenus Portugallica domus sub rubrica *Brasilia* adducitur. Jam & Londino nuncii de 22. Januarii adferebantur, sequentis argumenti;

„Hesterno Conventus Statuum & Ordinum inchoatus; rex aberat, sed Cancellarius Regni orationem solennem, qua Conventum aperuit, habuit; Exactis admodum vivacibus contentionibus, quæ potissimum *Hafnensem* expeditionem, & amolitionem *Russicæ* & *Austriacæ* in argumento pacis conficiendæ intermediationem respiciebant, in utraque Curia pro more gratiarum actio *Suxæ Majest.* significanda per vota conclusa est.

Parisiis de 31. Jan. Officiosæ paginæ sequentia memorant: Conspicitur de præsentis sceptrum *Gustavi Adolphi*, a Rege *Sveco*

rum occasione postremæ Suæ Stralsunda fugæ relictum. Sceptrum hoc una earum 28 Cistarum continetur, quibus imponendis navibus gallicæ copiæ tempus interceperunt; quemadmodum hæc adclusa fidem faciunt:

1) Humillima relatio Consilarii *Felzlof* ad Governatorem olim Pomeraniæ B. ab *Essen*— „Stralsunda die 9. Oct. 1807. Officii mei est Excellentiæ Tuæ significare, sceptrum Syecicum & Mareschalli Pomeraniæ baculum, quæ ambo Consiliario a *Storch* custodiæ credita sunt, in manus eorum vigentium Magistratum incidisse hæc bina objecta ante meum in Collegium rei ærariæ ingressum memorato Domino *Storch* resignata sunt, qui ea actis officiosis a se expeditis immiscuit, & ea occasione comperi: Maseschalli baculum inde ex tempore conclusorum postremorum Comitiorum una earum cistarum contineri, ast de scepro nihil adhuc mihi innotuit; *Redux Berga* intellexi acta litteraria adhuc *Wittowii* detineri; unde ea auferendi mihi cura fuit. Præses a *Thun* omnem æque dedit operam, ut id consilium in effectum deducat, quamobrem Secretarium *Droysen* eorum de Collegio provisorii regiminis expediverat. Interea rem per obsequiosos homines proditam oportuit, cum commorans in urbe *Spiker* Gen. Dux jam ea auferenda curaverit; ut Secretarius *Droysen* ex 30 ad cameram pertinentibus cistis 28 solum & has improbo labore & fatigio eripere periculo poterit; residua, queis sceptrum & Mares. baculus continebatur jam Gallico Duci transmissa erant.

rum occasione postremæ Suæ Stralsunda fugæ relictum. Sceptrum hoc una earum 28 Cistarum continetur, quibus imponendis navibus gallicæ copię tempus interceperunt; quemadmodum hæc adclusa fidem faciunt:

1) Humillima relatio Consilarii *Felzlof* ad Governatorem olim Pomeraniæ B. ab Essen— „Stralsunda die 9. Oct. 1807. Officii mei est Excellentiæ Tuæ significare, sceptrum Svecicum & Mareschalli Pomeraniæ baculum, quæ ambo Consiliario a Storch custodiæ credita sunt, in manus eorum vigentium Magistratum incidisse hæc bina objecta ante meum in Collegium rei ærariæ ingressum memorato Domino Storch resignata sunt, qui ea actis officiosis a se expeditis immiscuit, & ea occasione comperi: Mareschalli baculum inde ex tempore conclusorum postremorum Comitiorum una earum cistarum contineri, est de sceptro nihil adhuc mihi innotuit; Redux Berga intellexi acta litteraria adhuc Wittowii detineri; unde ea auferendi mihi cura fuit. Præses a Thun omnem æque dedit operam, ut id consilium in effectum deducat, quamobrem Secretarium Droysen eorum de Collegio provisorii regiminis expediterat. Interea rem per obsequiosos homines proditam oportuit, cum commemorans in urbe *Spiker* Gen. Dux jam ea auferenda curaverit; ut Secretarius Droysen ex 30 ad cameram pertinentibus cistis 28 solum & has improbo labore & fatigio eripere periculo poterit; residua, quæ sceptrum & Mares. baculum continebatur jam Gallico Duci transmissa erant.

Id unum adhuc dolere possum: homines perfidos aut saltim improvidos inter eos fuisse qui rei notitiam habuere, spero etiam rumorem in vulgus sparsum: sceptrum hoc, non genuinum Regni Sveciæ sceptrum fuisse, fidem obtenturum, pro quo omnis opera impenditur. 2) Fidem facio præsentibus: omnes in Protocollo a 17. usque 5. Aug. subscriptas litteras & cistas, quas Wittowii adprehensas in hujate Secretariatus Officio depositas esse, & actutum ibidem existere, exceptis duabus solummodo Cistis, quarum altera sceptrum Gustavi Adolphi, altera baculus Mareschallatus Pomeraniæ continetur; cum duæ hæ cistæ a Gallicis auctoritatibus adprehensæ habeantur. Stralsundæ die 7. Jan. 1808. Subsr. *Ehrenfridus a Storch!*

H o l l a n d i a.

Ultrajecto die 13. Jan. Altera vice hoc mense urbs hæc furores atrocis Vulcani experta est. Quod sub initium hujus mensis ortum est incendium, e vestigio extinctum, modicum damnum causavit; at multo alterum furebat atrocius, hesternò hora matutina 5 Flamma, nescitur qua ratione, ex Theatri Odoeo erupit; tantaque vehementia diffundi cœpit, ut ante ædes flammis obrutæ conspicerentur, quam siphones adferrentur. Cum Odœum hocce e ligno structum, & meris inflammabilibus materialibus constiterit, brevi tempore inanes conatus eas ædes servandi adparebant; contentio ignem in potestate habendi, atque ejus cum vicinis domi-

bus communicationem prohibendi successum habuit, & infortunium ad solam Odoei, adparatus theatri, penus vestiarum & suppellectilis, quæ in eo habebantur, prout & omnium Instrumentorum musicorum jacturam se extendit. Id quoque prospere evenit: neminem occasione tragici hujus spectaculi vitam amississe.

Discessus Suxæ Maj. imminet. Jam enim 1500 prætoriani discessere, ad metropolim petendam, atque Collegia quæ nondum Ultrajectum translata, probabiliter Amstelodamum directe concedent.

Hæc ferebatur propediem rediturum *D. Verhuel*, qui mandato instructus dicitur huc veniendi, super opportunissimis mediis, in argumento agendi adversus Anglos rationis consultaturus; alii adfirmant: hunc ministrum potissimum mandatum habere invigilandi executioni hujus agendi rationis, at, sub qua nomenclatione? ignoratur.

Hæc prodiit in publicum Regium Decretum: quo jubetur: nemini ad oras Frisæ & Groningæ, item Texeliam & aditas Insulas absque liberi commercii litteris concedere integrum esse. Frisia quoque orientalis in Tractatu Fontebella quoque cessa, unione incorporativa regno unita est.

B I O G R A P H I A.

Ludovicus Vilhelmus, Marchio Badensis communiter *Princeps Ludovicus* Badensis dictus, inter celeberrimos belliduces recentis ætatis. Parisiis die 8. Aprilis 1655. Patre Maximi-

liano Ferdinando Marchione, & Ludovica Christina Principe Carignan natus; ubi pater infelici plumbea glande in venatione vitam amisisset, ei in regimine successit quidem, verum paullo post suam Gallis ditionem in prædam cedere coactus est, & ad Imperatorem sererecipere, apud quem stipendia ingressus per illustria facta ad majores dignitatum gradas eluctatus. Prima heroicæ virtutis edidit argumenta in Hungaria, in qua Anno 1686 Turcis diversas arces eripuit, Anno 1688 cum 3000 non amplius equitibus in Bosnia Turcas quintuplo numerosiores clade affecit. Anno 1689 rursus ut Campi Mareschallus contra Turcas profectus eos die 20 Aug. numero 40000 constantes in munitis castris adgressus, notabili damno illato, die 24. Sept. ad *Nisam* in fugam vertit, quo factum ut *Nisa* & *Widdinum* Christianis cederent; Anno 1690 exigua suorum manu *Tökölum* Transylvania eiecit, et ad victoriam pone *Sallankemen* operam contulit. Anno 1691. Gen. Locumtenens & Vicarius Jaurinensis factus. Sequentibus annis meruit usque pacem *Risic.* adversus Gallos, & cum paucis suorum sæpenumero magni Gallicani exercitus molimina elisit. Anno 1702. occupavit *Landaviam*, die 2. Julii 1704 proelio *Schnellenbergensi* interfuit, *Landaviam* occupavit iterum, tandem Anno 1707 die 4 Jan. supremum diem obiit.

Pálffy, Familia Comitum Hungariæ, quæ ex fine Seculi 17 constanter nomen *Eradog* gerebat; & ejusdem cum Comitibus ejus-

dem nominis, originis esse videtur; cum & Insignia gentilitia in principali scuto concordent. *Petrus Pálffy* Baro a Bethlenfalva Anno circiter 1520 duxit uxorem *Nicolai Dersfi* filiam *Sophiam*, & ex ea 5 filios genuit, e quibus *Nicolaus* Comitum dignitate ornatus, & 1589 Jure Statuum Austriæ donatus est; obiit 1600 & 3 reliquit filios 1) *Matthiam* A. Abbatem S. Montis Pannoniæ 2) *Paulum* Cæs. actualem intim. status Consiliarium Palatinum Hungariæ; & Equitem aurei velleris Anno 1653 defunctum, qui inter reliquos *Joannem Carolum* reliquit, qui anno 1694 tamquam Cæsareus Campi Mareschallus Mediolani vitam cum morte commutavit, & prosapiam in duobus filiis propagavit. 3) *Stephanum* Anno 1608 Coronæ Custodem & Comitem Posoniensem qui Anno 1621 Colonellus leg. eq. hung. in proelio occubuit, & reliquit *Nicolaum*, qui ut M. Cancellarius 1679 mortuus. Filius ejus senior ejusdem nominis Cæs. int. status Consiliarius, rei torment. Præfectus Cameræ, arcis Poson. Capit. & Poson. Comitatus supr. Comes atque Imperatricis viduæ Supr. Stabuli Magister An. 1715 Palatinus Regni electus, ex uxore Barone a *Waix* genuit. 1) *Nicolaum* Jos. Camerarium Cæsareum. 2) *Joannem* Cæs. Camerarium & Supr. Excub. Præfectum; Comes *Joannes Pálffy* sub Imp. Josepho Bani Croatiae munitate fungebatur.